



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 5. Holofernes suo pugione iugulatus; & David adulter adulterijs punitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

bum tuum; Sed aliud est, Verbum Dei, quando alicui semel ex diuina inspiratione cognitum & intellectum est, dirigere illum, ne erret, sicut lucerna, quæ dirigunt eum, ne in foueam cadat, aut in lapidem offendat: aliud est, Verbum Dei ex se clarum esse, quod negamus cum Davide, cuius ibidem verba sunt: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua*; item: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam*; *Da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua*. Vbi petit gratiam à Deo, ut possit Scripturam intelligere; qua ipsa petitione ostendit, Scripturam ad eò esse obscuram, ut sine peculiari Dei illustratione intelligi non possit. In hunc modum mysticè Goliath suo gladio obtruncatur, dum scripturis hæretici, qui volunt scripturis contra nos pugnare, percutiuntur.

§. V.

Holofernes suo pugioe ingulatus; & David adulter adulteris punitus.

Ceterum ad litteram suo telo cecidit superbus ille Martis imitator Holofernes, qui dum ingenti exercitu imminuit Iudæis, muliebri manu est interemptus. Fortissima enim Iudith, oratione ad Deum fusa, accessit

Iudith.
13. 8.

ad

in diuina Scriptura, expressam esse. 205

ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius, qui in ea ligatus pondebat, exoluit. Cumq; euaginasset illum, apprehendit comam capitis eius, & ait: *Confirma me, Domine Deus in hac hora, & percussit bis in cernicæ eius, & abscidit caput eius.* Inermis erat, arma ab hoste accepit, vt itidem David à Philistæo. Quid molimini, mortales, cultrum acuitis in victimam? ipsi hostia fietis, quæ sub cultrum veniat. Quàm multi mortem euaderent inermes, qui armati occiduntur? quia gladium aduersario porrigunt. Verbis captis, facilè reliquis vita donatur, qui autem stant in excubijs, qui enses stringunt, qui vibrant hastas, sine vlla gratia perimuntur, & sæpe suis armis perimuntur, quibus ipsi hostem perimere voluerunt. Deus quoque idem facit in sceleribus hominum puniendis, eodem ferro, aut eadem pœna, immò eodem scelere finit plurimos fauciari, quibus destinabant alios mactare; vt mensuræ paritas iustitiæ demonstret paritatem. Certè ad ipsum Dauidem adulterum factum, per Nathan Prophetam dixit Dominus: *Eò 1. Reg. 12. quòd despexeris me, & tuleris uxorem Vriæ^{10.} Herhai, vt esset uxor tua; Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollam uxores tuas*

tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum vxoribus tuis in oculis solis huius.
Adulterium igitur vnum permisit pluribus adulterijs compensari; vt, quod Vriæ in vna vxore fecerat, ipse in multis pateretur.

§. VI.

Ioannis Baptista caput suo capite luit puella saltatrix.

Qua de caussa in nouo etiam testamento impia illa saltatrix, quæ caput Ioannis Baptistæ in disco poposcit, ipsa quoque caput, mirabili casu, immò mirabili Dei prouidentia amisit. Historiam Nicephorus his verbis commemorat. *Furibunda sed enim, & adultera incestaq; adeò illa, quæ quidem Herodis habebatur, reuera autem Philippi erat coniunx, vitâ longius actâ, quàm prius filiam & saltatricem acerbo fato sublatam vidisset, deinde ipsa quoque decessit, futuri sæculi Iudicio, & supplicio reseruata, meras ibi quàm citissime diuina ira faces, intolerabilisq; indignationis Domini calicem haustura. Filia autem eius (dignum enim est, qui memoria commendetur) talis fuit obitus. Eundem ei quòpiam brumali tempore erat, & fluius trayciendus, qui cum glacie constrictus, coagmentatusq; esset, pedes eum transibat. Glacie autem ruptâ, (idq; non*

Niceph.
Callist.
lib. 1. hist.
Eccl. cap.
20.

sine